II.

DE

PLICA POLONICA

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM BEROLINENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA HONORES

RITE CAPESSENDOS

D. XXIV. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXII.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

HENR. CONR. LUD. GOULLON

VINARIENSIS

OPPUGNANTIBUS:

A. HERZOG, MED. CAND.
E. MATTERSDORF, MED. CAND.
FR. SCHOLZ, MED. CAND.

BEROLINI,

TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

Introductio.

De nullo fere morbo tam singulares inter medicos disceptationes fuerunt, tamque variae opiniones obtinuerunt, quam de plica Polonica, quae num inter morbos locum teneat, an potius immunditiae, negligentiae ac superstiei Polonorum tribuenda sit, paucos ante annos nondum satis liquebat. Mirificum enim videbatur, a morbo capillorum, vitae animalis fere expertium mala nervorum gravissima, dolores, spasmos atrocissimos emanare; eumque morbum, quamvis contagiosum solos fere Polonos corripere: adde, leniores quoque casus saepissime observari et describi, quid mirum, plicae cum istis nervorum affectionibus nexum a multis negari, iisque separatis, de plicae ipsius inter morbos loco dubitari? Duplex igitur auctorum exstitit ordo, eorum, qui plicam e morborum serie ejiciendam esse putabant, atque eorum, qui ejus illustrandae difficultate non deterriti, phaenomena accurate depinxerunt, quae false relata essent, refellerunt, caussasque diligenter indagarunt. Inter nostri saeculi auctores Berends [1]) et Wolff [2]) plicam morbum esse, plane negant; mere localem crinium affectionem putant plures Gallorum medici, exercitum per Poloniam comitati: Rouseille-

---

[1]) Diss. de dubio plicae inter morb. loco. Francof. 1801.
[2]) *Ist der W. Z. eine Krankh. v. Dr. Wolff in Hufel. Journal. XL, 3tes Stück.*

Champseru, Boyer, [1]) Larrey [2]) ac novissimo tempore *Gasc.* [3])

In alteram opinionem abierunt: Gabr. Kronoszynsky [4]), Bonfigli [5]), Vicat [6]), Sennert [7]), Gehema [8]), Saxonia [9]), Sinapius [10]), Brera [11]), Schlegel [12]), Robin [13]), Wolframm, Lafontaine, Ios. Frank, Richter et Chromy a Ruhmfeld, Hartmann: quorum fere suam quisque de plica hypothesin construxit, plurimi antem eo veritate egressi sunt, quod pessimos tantum casus intuentes, multo majoris eam habuerint, ac symptomata rariora, immo fortuitas complicationes semper eam comitari arbitrati sint: quod circa status ille accuratiori intuitu haud indignus videatur.

Quum mihi licuit, dum Dantisci, oppido, medios inter Cassubenses sito, commorabar, nosocomium a mercatorum communione institutum frequentare, plures numero, plica affectos observavi, eosque in variis morbi stadiis versantes; neque occasio deerat, benevolentia duorum virorum, Dantisci medicam artem exercentium, optime de hac re scriptis, utendi.

---

1) Bulletin des sciences medicales à Paris. Fêvrier 1808. pièce IV.

2) Ejusdem: Fevrier 1809. p. III.

3) Mém. de l'acad. d. médicine a Paris 1817.

4) Hist. natur. curiosa regn. Polon.

5) De pl. pol. tract. med. physiol,

6) memoires s. l. pl. polon.

7) Ejus Medic. practica L. V. p. 3.

8) De morbo, vulgo dicta pl. polon. Hamb. 1683.

9) de plica, quam Poloni Gwódzick, Roxolani koltunum vocant. Patav. 1650.

10) Parodoxa medica.

11) Notions s. l. pl. polon. Brunelle 1797.

12) *Mater f. d. Staatsarzneiwiss.* 1 *Samml. N.* 15.

13) Memoire s. l. pl. polon. *Wolffr. Vers. üb. d. wahrsch. Entsteh. u. d. Ursache d. W. Z. Breslau* 1814. Lafont. Medic. chirurg. *Abhandl.* I. Frank Mem. s. l'origine et la nature d. l. plique polon. Wilna 1814. Richter *Handb. d. Therapie.*

Denominatio.

Plica polonica, trichoma, tricae incuborum, morbus cirrorum, capillitium intricatum latino sermone nominatur; Gwódziek, s. Koltun, Koltum Polonis, *Weichselzopf*, *Maarenlock*, *Maarenflechten*, *Judenzopf* nobis audit.

Intelligitur vulgo capillitii aut in cirros aut in massam irregularem tam firma connexio et conglutinatio, ut nulla arte in singulos capillos disjungatur; quae definitio, nec veram status imaginem continens, neque capillorum intricationem et conglutinationem arte confectam excludens, variorum errorum propagatrix est. Plica ad producta vegetationis spuria abnormalia refererda est atque ita definienda: Productum est capillorum parasiticum, vel caussis internis, vel contagio generatum, unà cum materiei insolita secretione. Trichoma igitur in eo morborum localium ordine collocanda est, qui vegetationis abnormis genera complectitur, quae vero in cute s. cutanea formatione erumpentia, chronica exanthemata audiunt.

Historia morbi.

Quo primum tempore plica inter Polonos apparuerit, num huic slavonicae stirpi propria an ab alia natione, quacum bellum gesserit, iis illata sit, nondum in aprico est. Nihil usque ad saeculum XVI. de plica memoratum est, ac ne tum quidem de prima ejus origine quidquam reperimus. Nostri aevi scriptores e tali periodo talibusque circumstantiis, quae in hypothesi construenda quadrabant, eam repetierunt, nulla auctoritate nisi *Schlegel* [1]) qui catarrhalis naturae plicam existi-

---

[1]) L. c.

mat, et a suppressa capitis transpiratione derivat, eam Casimirio I. regnante, medio saeculo XII. fundatam esse, perhibet: qui Polonorum rex Pontifici votum fecisse fertur, se regno potitum tondendi capillitii usum subditis imperaturum: quo voto soluto plicae viam stravisse traditur. Alii Tataros, nescio qua ratione suspectos habent, quos Polonorum regnum saeculo XIV. invadentes plicam simul propagasse tradunt. Quodsi consideramus, Polonis novissimo praesertim bello in medio aliorum populorum coetu plica affectis, hunc morbum in Polonia contagiosum una cum aegrotis recessisse, ne vestigio quidem relicto; alienos vero, in Polonia vitam degentes, haud raro hoc malum subire, dubium esse non potest, quin ex ipsis Polonis eorumque constitutionis proprietate effloruerit, quae ibi endemica, in alienae nationis *individuis* reperiri potest, quare in Germania et Britannia singula trichomata tanquam portenta observata sunt.

Interest scire regiones, per quas Trichoma dilatata est. Vera ejus sedes australes Poloniae pristinae partes, Gallicia sc. Volhynia, Podolia, Ucraina sunt, unde in septentrionales quoque terras et occidentales propagata esse videtur: in Silesiam, Pommeraniam posteriorem, Lithaviam. Hunc calculum comparativum Lafont. exhibet: [1])

Cracoviae et in Volhynia et Ucraina ratio est plica affectorum ad sanos; ut:

2 — 3 ; 10 inter rusticos
2 : 30 inter patricios

Warsoviae, in Lithavia, e. c.

4 : 40 inter rusticos
3 : 90 inter patricios

Decursus.

Regularis et irregularis decursus distinguendus est.

---

[1]) L. c.

A. *Decursus regularis.*

Tria exhibet stadia, quorum symptomata ubique sine ullo ordine descripta colligam meliusque disponam.

Stadium primum.

Stadium morbi universalis s. prodromorum.

Prodromi a Lafontaine, accuratius a Chromy de Ruhmfeldt descripti, quos cujusque fere aegroti examen ostendit, sunt: Inertia, detollatio artuum, dolores et fixi et vagi, rheumaticis et arthriticis similes, *dorsum* praesertim et *os sacrum* pervagantes, cardialgia s. pressio in scrobiculo cordis, quae nunquam fere deest, anxietas saepe revertens, nausea, appetitus prostratus, vomitus, alvus dura, *suppressio et perturbatio mensium in mulieribus*; quae symptomata pro morbi majori minorive vehementia cuncta vel singula tantum per incertum tempus praecedunt.

Capitis dolores, qui magis magisque augentur, sanguinis ad caput congestio, oculorum inflammatio, rheumaticae haud dissimilis, lacrymarum jactura, dolor obtusus orbitarum, photophobia, auditus turbatus, susurrus, tinnitus, ceruminis aucta secretio, lenes denique convulsiones, tendinumque subsultus secundum imminere stadium certiores nos faciunt: quem morbi articulum febris modo lenior, vehementior modo significat.

Stadium secundum.

Stad. Exanthematicum.

Quod in junioribus infantiaque nondum egressis interdum subito ac sine ullo prodromo, nisi

febri irrumpit. Haec febris, Ephemera, vel Ephemera protracta, rarius septem — quatuordecim dierum, aliis symptomatibus, quae trichoma formatum iri indubium reddunt, solet stipari. Cephalalgia increscit, intolerabilis fere fit, sanguis magis capiti ingeritur, omniaque symptomata inflammatoria augentur. Cutis quasi tenderetur, sensus; ejus sentiendi facultas aucta, vel abolita [1]). Characteristicum signum sitis est vix superabilis.

Febris sudoribus solvitur, cum corporis totius, tum capitis tantum, qui noctu revertuntur, viscosis, acidulis, ut arthriticorum, interdum coloris fusci, subrubri, ut haemorrhoidariorum. Urinam quoque criticam lateritiam Richter describit, quam saepe adesse Hartmann affirmat. Iam capilli curvantur et in cirros et volvulos haud solubiles mutantur, ut aegroti pectinis usu abstinere cogantur. Pinguedinis perpetua in pilis exsudatio, qua nitent, odoremque subdulcem nauseosum exhalant. Sed ne quis putet, pinguedine hac aut ullo capillorum exsudato eos conglutinari, ut omnes auctores attulere, ambiguam plicae descriptionem, dissimilemque imaginem perficientes: nam trichoma productum est capillorum nimis luxuriantium: ipsi capilli inter se *concrescunt*, massamque uniformem, tomentosam praebent.

Si morbus internus, e quo plica nascitur, lenior est, criticae illae evacuationes cum hoc trichomatis gradu, quem Schlegel et Hartmann plicam falsam perperam dicunt, eo removendo sufficiunt et morbus in tertium stadium transit; — Si autem majorem attigerit vim, ut in robustis, sanguine oppletis solet evenire, status inflammatorius, dolores, congestiones adhuc permanent, etiam augentur, ut vel lenissimus capillorum contactus dolores excitet: signa quoque, velut suppurationis intrantis: dolor pulsans, sensus, quasi omnes succi

---

1) Chr. a Ruhnf, l. c.

ad unum locum congererentur, cutis tensa, horripilatio et saepe febris secundaria, observantur; donec capillitium in instrumentum secernens mutatum, liquorem tenacem, flavum, fuscumve foetidissimum edat, qui totum capitis tegmen pilosum penetrat, sed trichomate, abscessus instar obtegitur includiturque, quo post aliquot dies hic et illic dirupto ad superficiem profluit. In capitis cute quoque crustulas reperi, quibus remotis liquorem purientem effundi, aegrota certiorem me fecit. Pruritus in universo vix ferri potest et pediculorum vi sub trichomate nascentium augetur, quibus interdiu noctuque excruciantur aegroti, e somno excutiuntur, penitusque quiete privantur. Quo tormento plurimi incitantur, ut periculo contemto plicam rescindant. Sed pilorum vegetandi vis adeo hoc stadio augetur, ut trichomate inciso callus, ossium fractorum instar, quo partes sejunctae concrescunt, exsudetur. Totum quoque trichoma incaute rescissum denuo accrevisse, Lafontaine observavit. Hoc plicae genus acutum et humidum ab aliis nominatur.

Trichoma plerumque ab occipite ad verticem irrepit, saepeque fronti parcit; morbo autem primario profundius radicante, omnes corporis pili longiores, axillarum, pectoris, barbae, pubis corripiuntur, immo ungues pilis affines hujus morbi participes fiunt, squamisque corneis, fuscis deformantur. Incerto tempore peracto, eoque longiori, quo lenior fuerit decursus, sed duabus potissimum vel quatuor hebdomadibus hoc stadium tertio locum cedit: etsi per plures etiam menses produci potest.

Stadium tertium.

Stadium trichomatis decidui.

Abnormis quaelibet secretio cessat, odor plicae proprius minuitur, capillitium siccatur. Secretum

illud spissum, jam solidescens, squamas, crustas, frustula duriora per totum trichoma dispersa exhibet. Capilli in junioribus praecipue insolito vigore pullulantes efficiunt, ut trichoma magis in diem a cute separetur et elevetur, donec eodem ordine, quo exorti erant plexus, solvantur, totum vero in feminis trichoma paucis tandem capillis adhaereat; mirum sane adspectu, quum hoc tegmen hic et illic adnatum cucullae instar, removere atque induere possint. Hoc stadium, quo caeterum perfecta jam sanitate gaudent, longissimum est, plicaque abjicienda, si soli naturae traditur, plures anni consumi possunt. Iuventute mediaque aetate capilli trichomate abjecto, neque mutati neque extenuati apparent, sed eadem copia crescunt; quod senibus jam canis non solet obtingere, quorum vertex aut calvus remanet, aut parcos tantum crines emittit.

B. Decursus trichomatis irregularis.

Decursus irregularis redditur:

1) omnibus, quae plica instante (i. e. morbo primario eo usque adoleto, ut eruptione opus sit) sanguinem ad alias partes derivant, viresque naturae exhauriunt: quodcirca jam Lafontaine laxantia cujusvis generis rejicienda putat; minus venaescitio conducit; in universo omnia obtinent, quae de paroxysmo podagrico constant: quo talibus remediis lenito, atonica et irregularis redditur arthritis.

2) Si plica jam nascente capilli diligenter comuntur, pectineque tractantur, quo dolores gravissimi, oculorum praecipue inflammationes, immo convulsiones excitantur.

3) Si plica jam nata, nondum sicca, neque sanis capillis gestata resecatur, quem conatum atrocissima confestim cephalalgia, ophthalmiae perniciosae, apoplexia sanguinea sequuntur.

4) Si morbo locali jam incipiente, capillitium ut senibus parcum, aut rasum ut multis Polonorum aut certe brevius est, quam ut plica critico morbi puncto formari possit. Quadam enim capillorum longitudine opus est (quare supercilia semper trichomate libera sunt): et priusquam huc usque increverint, primus morbi impetus, sola criseos perfectae conditio, sese remisit; qua crisi retardata, metastases oriuntur, et chronicus morbi circuitus insequitur.

5) Saepe etiam capillis rigidioribus ideoque ad plicam natura non pronis, morbus veram crisin et optimam non molitur ac per alia systemata grassatur. Periculosissimus casus, qui vero rite de plica separandus est, et morbo primario (de quo infra) profundius radicato tribuendus.

Plica coercita vel resecta innumeras aegritudines exhibet, sicut arthritis incongrua, atonica et suppressa: quas in tres ordines distribui possunt:

1) *Morbi inflammatorii* oriuntur: Encephalitis, Pneumonia, Phthisis ulcerosa, Gastritis, Enteritis, Dysenteria, Ophthalmiae plerumque perniciosae ejusque sequelae: maculae corneae, hypopion [1]) cataracta [2]). Huc referri possunt: Apoplexia sanguinea, paralyses, amaurosis, cophosis.

2) *Morbi systematis nervosi:* spasmi et tonici et clonici, mirae artuum contorsiones ut in Chorea Sti Viti, Epilepsia, Algiae cujusvis generis, vomitus, asthma, colica spasmodica, vesaniae, mania, melancholia, hypochondria, hysteria, Idiosyncrasiae, malaciae ut gravidarum, spirituosorum praecipue amor, in iis quoque, qui alias ea detestantur [3]): quae in constitutione praesertim nervosa apparent.

3) *Morbi vegetationis:* qui inflammationem chronicam et occultam maxime insequuntur, ut Phthi-

---

1) Lafont. l. c.
2) Idem.
3) Lafont. l. c.

sis pituitosá, tuberculosa, hydropes, exostoses, caries, Coxarthrocace, profluvia, praesertim fluor albus: quae tum praecipue observantur ubi morbus primarius toto organismo potitus est, et critica plicae natura minus in sensus cadere potest.

Plica quolibet modo impedita vel etiam resecta, tantus tamen naturae nisus ad salubrem hanc metastasin efficiendam, ut quoque obstaculo superato rudimenta trichomatis bono semper eventu sese ostendant. Tarde tum concrescant, parce secernunt capilli, longiorique temporis spatio absolvitur morbus: quod chronicum plicae genus nominandum erit. Quemadmodum enim chronicus quisque morbus tanquam plurium paroxysmorum successio cogitari potest, plica etiam chronica nihil est, nisi plicarum plurium sibi succedentium productio: ut prima jam sanis gestata capillis, nova cuti proxima formari coeperit, morbusque internus quicunque (neuroses praesertim) in eadem ratione decrescat penitusque saepe aboliatur. Quo vitae labore annos consumi posse, experientia docet. Debilior interdum tarda haec crisis est, leniens quidem dolores et spasmos, totumque statum sublevans, quem vero, imprimis senum, nunquam plane expellere valet.

Capite capillorum orbo, aliae corporis partes crinitae sive ungues morbum suscipiunt. Hanc secundam crisin Lafontaine dicit.

De plica animalium.

Animalia quoque huic malo obnoxia sunt ea praesertim, quae in nonnullis corporis partibus longiori coma ornata sunt, ut equus, bos, ovis, canis, lupus, vulpes, aliaque. Idem ac in homine, decursus esse videtur. Lafontaine haec in cane symptomata describit: cauda demissa ventrique appressa, ore spumato, labante gressu incedit; nec latrat, nec cibos tangit: dominum quoque mordet,

ut hydrophobia affectum putares, nisi principale ejus morbi signum abesset; immensum enim aquae vim haurit. Plica formata alios canes cum maxi ma anxietate fugit.

Equi languidi sunt, ad laborem inepti, multumque bibunt.

Longissimae semper animalium cristae trichoma producunt, ut equi jubae et cauda, sed ungulae quoque corrumpuntur. Neque pelles animalium trichomaticorum subigi posse, neque lanam explicari, neque cornua tornari, satis inter opifices Polonorum constat.

De producto morbi materiali.

Materia e processu morboso oriunda, maximi momenti est in dijudicanda morbi natura: non quo essentia morbi in ea posita sit, in quem errorem pathologi humorales inciderunt, sed quia suum quisque morbus productum edit, quod, illo mutato, aliam quoque prae se fert speciem, internasque ergo corporis conditiones nobis indicat. E symptomatibus processum morbi, i. e. *vitae* declinationem, e materia morbi, ejus organismum, i. e. organa morbo substrata agnoscere licet. Utrumque igitur momentum, et symptomata et productum, eadem diligentia exploremus oportet, neque uno neglecto alterum tantum excipiamus.

Productum morbi trichomatici ipsa plica est quodque continet et exhalat, fluidi. Primum trichoma ejusque varietates inspiciamus. Trichoma, ut jam monitum est, mera capillorum ex sanguinis affluxu luxuria quae, ut omnes pseudo-organismi, v. c. telae cellulosae, ossium, et forma et chemica compositione a capillis abhorret.

Formae dissimilitudines jam primo adspectu apparent. Talia pilorum convoluta, tum densae massae neque negligentia, neque arte formari possunt. Tomentum crassum imitantur, firmo tamen

nexu et irregulari textura. Extremi pilorum apices nunquam ei innectuntur, sed fissi et liberi e massa emergunt. Color nunquam mutatur, et trichoma media aetate natum, quod per annorum seriem capillitium occupat, juvenili adhuc colore est, dum sani quibus adhaeret crines jam canescunt. Massa dilacerata strepitum edit, qualis spongiae diruptae esse solet. Multiplex est plicarum pro forma et loco varietas. Primi qui de ea scripsere, duo distinxerunt genera:

1) Plexus restiformes e capillis contorti, quos in viris maxime observatos *plicam virilem* nominarunt. Plures ejusmodi cirri 6 — 10 pollices longi interdum dependent. In Museo Kopenhagenico plica pedum sex, pollicum trium servatur; alia in Lithavia observata est cubitorum sex.

2) Solidam massam, altitudinis, ut pluries vidi, 4 — 5 pollicum, media in parte nidi spississimi instar, concavam, onereque molestissimo prementem, quae in feminis tantum invenitur, *plicam femininam* dixerunt; saepe aliae capillorum particulae extra hanc massam in plicam virilem abeunt.

Quae varietates e diversa utriusque sexus capillitii comendi ratione derivantur. Polonorum enim viris longi mollesque capilli sunt, quodammodo undulati, qui nisi tondentur, liberi dependent; feminae capillitium ut apud nos in plexus formare et pectine colligere solent, ut totus deinde cumulus in molem compactam transformetur.

Praeterea Lafontaine sic plicas distinguit:

1) *Plicam veram*, ut supra descripta est.

2) *Plicam falsam*, capillis negligentia contortis.

3) *Plicam veram cum falsa*, capillis, quibus plica inhaeret, ejus pondere et prae nimio timore incomtis et convolutis.

4) *Plica triplex*, quam in chronico decursu observare licet, ubi plica sicca, a plica falsa gestatur, infra quam novum trichoma formari coepit. Plures etiam plicae tali modo sibi succedere possunt,

ut in portentosis illis exemplis semper conspicitur.

5) *Plica simplex,* ubi singulus capillus hic et illic in plicam abit, quae etiam extra plicam feminam cervici proxima saepe apparet ubi glebulae densae uni capillo inhaerent, evidentissimum certo argumentum, plicam ex ipso capillo excrescere, neque conglutinationi tribui posse.

6) *Plica unilateralis,* cui hemiccania praecedit. Alterum capitis latus tumores cystici plerumque obsident.

Chemicis virtutibus manifesto a pilorum natura plicam abhorrere, clari Vauquelini analysis probat, qui eam aqua solvi, minus continere sulphuris, calcis phosphoricae, nullum fere vestigium calcis carbonicae et sulphuricae, olei capillaris et ferri, invenit. Minui ergo partes terreas et metallicas, augeri gelatinam patefit, quod etiam mollitie insolita et flexibilitate probatur.

De humore in capillis secreto pauca tantum afferri possunt.

In primo minorique morbi gradu et chronico ejus decursu pinguedinis tantum ejus plus solito perspiratur, qua ungues quoque et epidermis volae manus plantaeque pedis obliniuntur, nitidaeque redduntur. Haec iis partibus propria in plica propter exaltatam capillorum vegetationem solummodo augeri et trichomate inclusa et corrupta toti capillitio odorem illum nauseosum impertire videtur.

Materia vero tenax spissa, altiori gradui propria, qualis sit, quibusnam partibus chemicis constituatur, nondum liquet. Externae ejus virtutes tantum descriptae sunt. Hartmann rite eam comparat melli sponte e favis profluenti, sanguine tamen imbuto et tincto; foetorem, quem circum circa spergit talem describit, qualis sordium sulphare intus sumto esse solet, aëris ergo hydrothionici; fortasse materia albuminosa huic latici inest, quod viscositas certe et penetrabilis iste odor probare videntur.

Sanguinem ei immixtum esse a quibusdam affirmatur, quem Hartmann cruori venoso comparat per aliquod tempus servato vel concrementis sanguineis, quae in cavitatibus cordis venosis saepe occurrunt; Vicat merum sanguinem e pilis dissectis scaturire tradit: a plurimis plane negatur. Lafontaine et Chr. a Ruhmfeldt, quibus numerosas plicas observare licebat, nunquam sanguinem sibi obvium fuisse affirmant. Rarissimis certe in casibus sanguinem per cutis (nedum pilorum) vascula penetrasse constat et quidem statu ad putredinem inclinante: quod primo hujus Endemiae tempore fortasse evenit, sed jam remissa vehementia nunquam conspicitur: sicut lues syphilitica, ubi primum innotuit, lethali furore per Europae terras grassabatur, sed magis usque ad nostra tempora sese remittens, jam solas fere systematis vegetativi metamorphoses secum ferat.

De caussis trichomatis.

Ante omnia inquirere refert, utrum plica morbus omnino dicenda sit, an potius pilorum intricatio et conglutinatio ex sordium, olei, axungiae accumulatione, neglectoque capillitii cultu oriunda. Inter utramque opinionem ea medium tenet, plicam localem esse partium crinitarum affectionem e calido capitis tegumine repetendam.

Inter negantes optima quae adduci possunt argumenta adduxit Wolff. Ipsius verba afferam;

1) „Plica tam late per Polonim dilatata aut endemica esse debet aut contagio propagari:"

a. „Plica endemicus morbus qui in climate, situ, soli, aquae, et aeris virtutibus vel in vita degenda fundatur, esse non potest, cum terra Polonorum omnes fere cujusque regionis proprietates conciliet. Regio enim ad Silesiam et Marcum spectans arena tegitur, Lithavia silvis paludibusque abundat, Volhynia et Ucraina agris fetilibus ex-

cellit, in universo autem Polonia salubri aëris constitutione gaudet: Neque in vitae ratione plicae caussa esse potest, quae nulli aetati, nulli civium classi, neutri sexui parcat."

Oblitus est tertium Endemiarum genus, e constitutione nationi cuique insita nascens. Sicut constitutio individualis a partu immo a genitura jam propria est, quae in quolibet domicilio, in qualibet vitae ratione sese exserit, propriosque morbos parat: ita proprium universae nationi characterem esse, negari non potest, qui climate moribusque mutatis quidem modificatur, sed in Endemiis generandis praecipuas semper partes sustinet; et cum maxima puritate lucet, ubi quisque populus diligentissime quicquid alieni coercet.

b. „Et contagium plicae negandum est, quum Poloni novissimis in bellis per tot terras migrantes nullum plicae vestigium reliquissent: alienique exercitus, in Polonia castra ponentes immunes mansissent: quare plicae, qua morbi, tam lata extensio, veritati contraria est."

Contagium neque Endemiae neque Epidemiae essentiale est: sed uti in Epidemiae culmine praesertim emanat, in vero Endemiae foco tantum excluditur. Idem morbus in quadam regione contagiosus, transductus in aliam contagionis vim amittit. In acutiori gradu contagium inest latici viscoso, quod intimo tantum contactu solas affectiones locales, vegetativas regenerat [1]), etsi metaschematismos trichomatis contagione sanari, Lafontaine multis exemplis probat.

Totum argumentum claudicat, quum frequentissima morborum propagandorum ratio omissa sit: Generatio, qua paterni morbi et graviditas, ubi materni in foetum transeunt.

2) „Specificum morbum, qualem plicam esse oporteret, singularia, nec alius morbi symptomata

---

1) Schlegel l. c.

exhibere: nullum autem chronicum auctumve morbum esse, quem plica non imitetur."

Morbus trichomaticus nec sui generis est, neque esse debet; sed *plica localis* propria est cachexiae satis notae varietas a constitutione nationali pendens: sicut pestis turcica, febris flava Indiae occidentalis, Dysenteria maligna Indiae orientalis febris typhosae, pro varia nationum indole, genera sunt.

4) „Plicam femininam Wolff non subito rescindendam putat, quia cutis sub tali tegmine calori majorique perspirationi adsueta refrigescat; cirros virorum sine damno resecari, quod in tironibus militiae quovis die fieri soleret.„

Quod si omnino obtinet, de plica falsa intelligitur. In Exercitu Russico viris plica affectis nunquam nomina proferre licet.

Quibus rationibus perductus Wolff plicam superstitiosae cuidam opinioni per cunctas stirpes Slavonicas effusae adscribit. Electricam attrahendi vim capillis inesse ponit, qua febrium crisi aucta, cujuslibet hominis capillos curvari et convolvi. Multis in morbis chronicis idem fieri. Quum vero post resectum ejusmodi volvulum dolores et spasmi *fortuito* apparuissent, aut similes aegritudines cum capillis convolutis evanuissent: opinionem per tot saecula inter omnes, qui Slavonico uterentur sermone, obtinuisse, capillitio intricato istos morbos sanari, rescisso proferri: qua perducerentur Poloni, ut cataplasmatibus, unctione diligentique frictione plicas arte conficerent. Trichomatis nascentis odorem arthritidi alive cachexiae *fortuitae* tribuit; morbos trichomate exorto sanatos, rescisso productos, non negat quidem, sed calorem et auctum sub ejusmodi tegmen sudorem affert, quo cutis irritetur, ad majorem excretionem incitetur et salubrem antagonismum exhibeat.

Similem experientiam a Lanoix [1]) factam commemo-

---

[1]) Lanoix: in mém. de la société médicale d'émulat. p. I. pag. 1 — 26.

memorat, quam accuratius narrandam puto. Post febres nervosas et typhosas in capite magna phlyctaenularum copia nascebatur, quae ruptae serum corrodens emittebant; pediculorum magna vis simul oriebatur. Capillis incaute resectis, capiteque loto, dolores capitis, deliria, sopor revertebantur ac mors subito intrabat, alio in casu imminebat. Qua narratione probatur, miliaria critica, levi caussa, ut hujus exanthematis est, nudato sc. et loto capite, retrogressa esse, nullo vero modo, sanorum capillorum rescissionem tanti momenti esse, quanti Wolff aestimat.

Electrica denique vis, quid hic sibi velit, minime patet. Etsi electricos esse capillos, concedendum est, Physices tamen elementis edocemur, eadem corpora eundem electricitatis polum (capillos negativum) ostendere; eosdem autem polos minime se attrahere, sed potius repellere, constat.

Multum abest, ut superstitiosa plicae reverentia res illustretur. Faciamus enim, de multis Polonorum hoc dici posse, non dici potest de omnibus. Earum enim, quas hic vidi trichomate affectas, duae tantum eo naturam adjuverant, quod ubi primum plicae vestigia agnoverant, pectinis usu abstinuerant; aliae vero minus expertae pectere tam diu continuaverant, quam solvi capilli potuerant; molem tandem indissolubilem resecaverant, sine ullo effectu, quum crescentibus capillis et plica regenerabatur: ne dicam de tota malorum cohorte a turbato plicae decursu oriunda. Praeterea capillitium manibus et quavis arte, cataplasmatibus, oleo et liquore viscosissimo intricatum et conglutinatum et primo intuitu a vero trichomate discerni, contendo.

Gallorum medicorum de plica opiniones, multo magis confusae bonoque nexu destitutae sunt. Boyer, Larrey, Rauseille-Chamseru, qui ve-

ram plicam secundo stadio nunquam videre, dolorem, secretum, negant, symptomata universalia *fortuitae* complicationi tribuentes, ipsamque plicam a calidis capitis teguminibus Polonorum et immunditia derivantes.

Gasc, novissimus de hac re auctor, dispositionem Polonorum trichomaticam a Lepra Tatarica natam supponit, et trichoma mere locale e spurcitie Polonis propria nasci, efficere vult. Quo judicio non magnum Polonorum favorem sibi conciliabit, quorum omnes, nobiliori genere nati, plicae tamen obnoxii cum Gallica diligentia amictui corporisque cultui student; et infima plebis sentina incomta quidem et sordida est, quo vero vix Galliae australis rusticos superare videtur. Morbum praeterea, qualem plicam esse Gasc concedit, e morbi alieni [1]) et sordium conflictu nasci, nimis ab hodiernae pathogeniae legibus abhorret. Phaenomena sic explicat: symptomata universalia morbo forte complicato, unguium deformitatem arthritidi adscribit, materiam trichomaticam a pigmento pilorum exsudato, sanguinem immixtum a cutis corrosione derivat, dolores capitis atroces ab onere capillos trahente cutemque tendente: quibus nihil adjiciendum erit.

Qui essentialem esse putant inter symptomata interna et plicam nexum, varias hypotheses construxerunt, quarum praecipuas obiter indicabo:

1) *Schlegel* catarrhalis naturae eam habet, et a suppressa capitis transpiratione oriundam.

2) *Lafontaine* et *Chromy a Ruhmfeldt* specificam materiam e lympha corrupta natam subrogant.

3) *Wolffram* [2]) luis syphiliticae degeneratio-

---

[1]) Leprae tataricae.

[2]) *Larrey* quoque syphiliticae originis eam habet, quamvis alio loco mere localem esse dicit.

nem plicam esse ponit, quia interdum ulcera syphiliticis similia palatum, uvulam et nasum occupant. — At ulcera, quae cum plica observantur, aut evidenter scrophulosa sunt, aut ea, quae in lue Lithaviensi dicta apparent: morbo in Lithavia praesertim hereditario, qui contagio nunquam propagari, syphiliticae tamen originis esse traditur; eandem vero ac lues Scandinavica s. Radesyge [1]) indolem ostendit.

4) *Richter* humoralis pathologiae sectator, in specifica acritudine, *Koltonica,* caussam ponit, quam arthriticae quidem similem a Lepra tamen derivat.

5) *Hartmann* rheumatismum accusat et arthritidem, cujus caussam occasionalem acres ventos hyeme ab oriente flantes habet. Remedia juvantia ejus opinionem suffulciunt; et experimentum ab eo institutum hanc plicae naturam bene demonstrat. Duorum aegrotorum, qui plica se affectum iri affirmabant, alterum anti-rheumaticis, Diaphoreticis et Epispasticis adhibitis sanavit, alterum sibi ipsi consulere permisit, qui oleo inuncto, capillis diligenter intricatis et cubiculo bene calefacto plicam bono cum eventu elicuit. — Rheumatismum quam proxime ad arthritidem accedere, eo jam patet, quod tam frequenter confundantur et eadem fere medela, iisdemque remediis sanentur; origine tamen differunt. Rheumatismus a caussa cutis praecipue functionem laedente producitur; arthritis ex ipso organismo, vitaeque decursu nascitur: quo fit ut tot tantique prodromi quemque paroxysmum adnuntient. Rheumatismi symptoma plica esse non potest, quippe qua foetus jam nunc in lucem editi capillitium obsessum fuisse legimus. [2])

---

[1]) *Radesyge* ulcera in Suevia, Norvegia cett. endemica nominantur. Ab aliis syphilis degenerata, ab aliis Leprae climate modificatae propago esse habetur.

[2]) *Lafont.* l. c. pag. 20. *d'Alibert.* Essai sur les maladies de la peau Tab. VII.

6) *Joseph Frank* plicam ut Leprae varietatem describit, similia utriusque symptomata indagans:

a. Utrique et animalia et homines obnoxii.

b. Tristitia, animus moestus, inertia utramque praeit.

c. Urina turbida cum sedimento, molimina haemorrhoidalia, alvus obstructa, flatus in utraque observantur.

d. Odor specificus, exanthemata, ulcera, cutis minus sensibilis, unguium pilorumque deformitas utrique propria symptomata sunt.

De caussa plicae interna.

Probe distinguenda est caussa proxima Pathologorum s. morbi essentia a caussa interna occasionali, quae statu abnormi vel organi cujusdam vel totius organismi continetur. Quodque enim organon cum aliis certo nexu conjunctum certam in ea vim exercet, morboque corruptum aliorum quoque, aut si majoris est momenti totius organismi morbum concitare potest. Universi autem a prima origine morbi a vita nullo modo superari possunt, nisi locales reddantur, sive in apparatum aut singulum organon deferantur: quod in crisi aut metástasi quavis obtinet, quarum duplex est genus: benignarum, ubi morbo peripheriae illato, materiaque morbi rite evacuata sanitas restituitur; et malignarum, ubi morbus in sublimius systema transgreditur, vel ejus materia intra organismum deponitur. Multa e. g. exanthemata plurimaeque aegritudines ex arthritide, caussa earum interna, nec vero proxima, tanquam ex uno fonte profluunt.

Trichoma quoque metastasin esse morbi interni, toto ejus decursu ostenditur. Quaeritur ergo quaenam ejus caussa interna sit;: quam duplicem esse puto, arthritidem et sorophulosin, quas dyscrasias breviter inspicere oportebit.

I. *Arthritis* (latissimo sensu) in ipsa vitae evolutione radicata est, extremumque vitae regredientis finem significat, qui cuique mortalium proprius sufficientem mortis naturalis caussam continet. Arthritis inter omnes morbos maxime materiae inhaeret, quippe cujus productum massa vi vitali destituta, oxyda sc. fere anorganica sunt, quae nonnulli scriptores caput vitae mortuum rite dicunt.

Quaeque in rerum natura vis in duos agit tenditque fines, substrataque ei materia (quum vis sine materia cogitari omnino non potest) in duas quoque partes finditur: non quo hic dicam de polis quamlibet vim constituentibus, quos positivum et negativum nominant; sed de ea naturae lege, quae ubique obtinet, et sic exprimi potest: „Quodque naturae corpus, vi et materia instructum, dum in altissimum, quem attingere licet, gradum se effert, materiae sibi substratae partem alteram ad maximam potentiam attollit, ubi minima moles maxima si impertitur; alteram cum minima pro portione vi conjunctam, quasi mortuam relinquit: quae nisi excerneretur, ipsum quo formatur processum, exstingueret."

Duo in promtu sunt exempla. *Aer*, quo terra circumdatur, atmosphaericus materiâ constat satis notâ (Nitrogenio et oxygenio), vi specifica, Electricitate, impertitâ, quae etsi semper agit, in mediocri aëris statu nos fugit. Ubi autem vita atmosphaerae, (si ita dicere licet) solis potissimum influxu altissimum attigerit gradum: altera aëris pars omnem attrahit vim, in utrumque Electricitatis polum manifesto jam discissa, dum altera eademque maxima pars nubes format et aquam, quae velut aër emortuus, pluvia excernitur. Fulmina vitae aëreae culmen, aqua atmosphaerica electricitati inimicissima, aëris mors nominari potest.

Maris, terrae ubicunque circumfusi, vita propria viresque mirabiles jam melius in sensus cadunt. Chemismus, ut e salibus marinis elucet, aquae proprius est, quo ad altissimam potentiam

elato, organicae vitae rudimenta, mucum marinum, infusoriorum medusarumque myriades efflorescere videmus; ex altera autem parte arenam, velut creationis maritimae residuum praecipitari littorique adlui: quare terrae moles magis in diem increscit.

Organica quoque vita eidem legi obtemperat. Quum corpus humanum, quasi mundi universi imago cunctas naturae vires in se conjungat, inter extremos vitae fines quam plurima membra intercalata sint, necesse est, qui tamen in cerebro, subtilissimo animi instrumento, et in ossibus terra anorganica repletis, clarissime oculis nostris exponuntur. Cerebrum, cujusque sublimis facultatis sedes, vitae tanquam culmen est: productio terrae signum naturae in pejus ruentis, certumque mortis futurae praesagium. Cerebrum phlogisticae indolis substantiis constructum subtilissimas sanguinis partes attrahit, ejusque oxygenio perpetuo excitatur et inspiratur; ossium vita fere anorganica quiete et crystallisatione exigitur. Notabilis certo est elementorum cerebri et ossium similitudo: cerebro magna sulphuris et phosphori vis inest; ossa calce phosphorica et sulphurica exstruuntur: Calcaria ergo haec normale vitae productum et ossa vera ejus excernendae instrumenta sunt, quare paullatim aetate crescente duriora et fragiliora fiunt, donec senectute intrante aliae quoque partes osseam naturam induant, terraque imbutae usque ad mortem naturalem minus in diem munere fungantur. At talis terrae osseae formatio justaque dispositio sine ulla naturae turbatione iis tantum evenit mortalium, qui pulcherrima omnium systematum aequabilitate ad sanitatem idealem proxime accedente gaudent.

Altera vitae progredientes et regredientes oppositio in systemate irritabili nobis offertur. Centrum medulla spinalis nervique motorii, cui sicut ossa cerebro, respondet salium uricorum formatio ac per renes excretio. Renes et ossa, aequalia *vi-*

tae animalis organa vices permutare possunt, ut urina calcem phosphoricam saepe contineat, in ossibus calx urica interdum deponatur.

Adhuc tertium hujus conditionis genus considerandum est, quod inter systema gangliosum et aquam organicam reperitur. Sunt enim ganglia tot centra nervosa, vitae inferiori praeposita, quorum suum cuique organon subjectum est, quod regit atque ad functiones vegetativas stimulat. Huic nervorum infimorum evolutioni materia minus a natura organica abhorrens in vita regrediente respondet: aqua et salia carbonica [1]).

Haec functionum et materiae oppositio *tempore* quoque elucet: quum cerebrum interdiu viget, noctu ossa nutriuntur, doloresque arthritici exacerbantur; vel ubi hae periodi annuum typum sequuntur, hyems nocti re vera aequalis propria paroxysmorum podagricorum fautrix est.

Sed quaenam constitutio eam, quam *arthritidem veram* dicimus, aegritudinem provocet, quaeritur. Temperamentum sanguineum, habitus sthenicus, irritabilis, quo fit, ut quaelibet vitae increscentis et decrescentis mutatio inflammatoria indole excellat: quare ossium in altera vitae parte nimia terra implendorum munus vel chronicam inflammationem, dolores osteocopos exhibet, vel acutissimam cum febri sthenica incedentem, paroxysmum podagricum. E quibus intelligi potest, qua de caussa sanguinis jactura, v. c. fluxu haemorrhoidali arthritis compensatur.

II. *Scrophulosi* quendam cum arthritide nexum esse, multis probatur, etsi primo adspectu toto coelo distare videntur. Arthritis morbus hereditarius est, ubi tota patris constitutio foetui implantatur, eadem emolumenta eademque vitia

---

1) Qua de caussa in hysteria, hypochondria similibusque horum nervorum malis auctam urinam eandemque aquosam observamus.

ostendens, veramque arthritidem suo tantum tempore evolutura. — Materna vero arthritis s. congenita longe aliter se habet, aliamque Dyscrasiae genus efficit. In nutritione uterina nullum constitutionis germen foetui implantatur, sed ipsi matris succi, sanguis ipse ejusque vitia ei impertiuntur, et ab arthritica matre perfecta jam arthritis embryoni imbui potest. Foetum tanquam organon matris possumus considerare, in quod sanguis quidem nutriens mittitur, sed etiam morbi quasi metastasi ingeri possunt; quemadmodum vero unus idemque morbus pro organis, quibus incidit, aliter atque aliter mutatur: arthritis quoque foetalis propria foetus vita modificetur aliaque forma induatur necesse est. Prima graviditatis periodo, qua maxime vita foetalis a matre pendet, ejusque igitur morbis patet, systema lymphaticum, membranaeque et praesertim tubus alimentarius formantur et praevalent: quae arthritide materna recepta ad vigorem abnormem et permanentem exaltantur, quo justa systematum sublimiorum, animalium (ossium) evolutio coercetur. Quae morbi forma, cum per totam saepe vitam perennat, aliamque corporis sphaeram occupat, ab arthritide omnino separanda est.

Sed haec obiter dicta sint. Iam videamus, quaenam inter arthritidem, scrophulosin et morbum trichomaticam similitudines sint, quaeque argumenta indolis ejus arthriticae et scrophulosae ex iis comparatis afferri possint.

1) Arthritis et scrophulosis morbi hereditarii et congeniti sunt. Utrumque in plica obtinet. In nonnullis gentibus adeo radicata est, ut quodque caput serius ocyus ea oneretur. Multa in scriptoribus de trichomate propagato legi possunt, et maxime notatu dignum, quod apud Lafontaine invenitur, duos infantes, vaccinatione instituta in stadio eruptionis plica etiam affectos esse, quorum parentes huc usque nihil unquam simile fuerint experti; duobus vero annis praeterlapsis matrem

doloribus arthriticis, quibus jam dudum tormentabatur, plica crescente liberatam esse.

2) Arthritis regularis paroxysmis periodicis erumpit, anno aut pluribus annis interstinctis; irregularis et chronica in tempus incertum ducitur, quo exacerbatur modo, modo remittitur, nec penitus aegro cedit. Sic plica, quem semel unquam affecit, in eo pluries per vitam erumpere solet, aut in chronico decursu plures plicae uno tenore sibi succedunt. — Scrophulosi exanthemata propria esse constat; cutis enim tenera, mollis, ad nimiam eandemque abnormem vegetationem prona: quare plica infantilis eo jam ab arthritica differt, quod saepe sine doloribus aliisque prodromis excrescat.

3) Ossium affectiones, dolores et massae terrestris depositio signum arthritidis characteristicum; in plica arthritica dolores capitis atrocissimi et dolores illi osteocopi veram arthritidis effigiem praebent. — Scrophulosis quoque violentior ossa et praesertim articulos ad inflammationem pronos reddit, qua in suppurationem transducta, carie devastantur. Idem de morbo trichomatico Lafontaine et Chromy de Ruhmfeldt testantur, ita quidem ut plica nascente, tanquam inflammatione et suppuratione vicaria, ossa serventur.

4) Animus moestus, tristitia, coenaesthesis turbata, digestionis deinde vitia et paroxysmo arthritico et plicae erupturae antecedunt; tum febris intrat, sudore urinaque critica et inflammatione locali solvenda, quae tophos illic, hic capillorum luxuriem profert. — In plica scrophulosa hujus dyscrasiae signa et decursus magis vegetativus observantur.

5) Arthritis retrograda et irregularis easdem ac plica suppressa et retenta metastases exsequitur. (V. supra in dec. irreg.) — Exanthematibus scrophulosis natura alii organis maxime consulit, ut quae inflammationes illas scrophulosas, suppurantes et perniciosas, phthisin tuberculosam, hydroce-

phalum internum, coxarthrocacem cett. compensent: saepe quidem debiliores, quum ut sanitatem integram servent.

6) Notabile certo est et plicae originem bene illustrat, remedia antarthritica ab aliis in plica commendari [1]), ab aliis antiscrophulosa, antimonium, mercurius, conium [2]).

Hisce patebit, qua de caussa critica plicae natura saepe ignorata ac negata sit. Plica arthritica, acuta sanitatem semper restituit, etsi dispositionem auferre non valeat, morboque iterum adoleto, denuo appareat; chronicae boni effectus primo nos fugiunt; qua per tempus idoneum servata, dolores leniuntur, spasmi sistuntur, membra soluta in motum cieuntur, amaurosis et cophosis nervis cedunt et leves materiae metamorphoses, ut maculae corneae, evanescunt.

Exanthemata scrophulosa, ut plica a multis, symptomatica perperam habentur, quod ea, qua oriuntur cachexia non minuitur; quamvis lentae illae inflammationes et perniciosae saepissime iis averti videntur. Cavendum vero est, ne quis nimia bona e trichomate emanatura esse speret, eoque formato mala ex alio fonte profluentia sanatum iri, credat.

De caussa plicae proxima.

De caussa plicae localis proxima quaedam adjicienda sunt. Sede quoque et formatione organica, cui inhabitat, arthritidem et scrophulosin

---

1) d. Lafont. l. c. Richter Hdb. d. Ther. Chromy a Ruhmfeldt, Hartmann.
2) Ios. Frank.

imitatur: nam capillos systema ossium in sphaera organismi imperfectiori repetere, e physiologia demonstrari potest.

Constat, corpus humanum duplicem in se combinare naturam, perfectiorem s. animalem sensu strictiori, et imperfectiorem: Illa systema cerebrale, musculare et osseum complectitur; haec systema gangliorum, sanguinem et membranae. Singula cujusque seriei membra sibi respondent. Ossa cerebro centrali opposita extremam corporis peripheriam tenerent, cunctaque vitae instrumenta includerent, nisi organismus ab infimo vitae gradu in altiorem progrederetur, ideoque formationes deteriores, vesiculae ad instar systemata nobiliora intus formanda a prima origine investirent: quare membranae, naturae animalis involucra, extremam corporis peripheriam constituunt. Tres sunt membranarum apparatus: cellulosa ejusque in tunicas serosas explicatio, membranae mucosae, quae intra, et cutis, quae extra obducit organismum.

Membrana serosa vera ossis imago est; textura cellulosa utrique propria; adeps ei impositus medullae, aqua terrae osseae, lympha aquae immista gelatinae osseae respondet.

Membrana mucosa praeter alia munera hic non consideranda excretione fungitur muci, oxydi organici, carbonii sc. quam maxime oxydati, quae si maximum attingit gradum, oxyda terrea secum egerit, ut ossificationem compensare possit, quod in tot aquarum incolis, quorum tunica externa *mucosa* testis producendis praeficitur, et verisimiliter in scrophulosi et rhachitide obtinet, ubi justam ossium formationem impedit.

Cutis denique substantias phlogisticas edit, sebum, Epidermidem, ungues, pilos, cornua animalium, durum nonnullorum corporis thoracem, avium pennas: quae omnia jam propius ad ossium naturam accedunt, formam organicam induentia.

Pili tantum quomodo sint constructi, videa-

mus. Capillus e tela cellulosa sub cute strata nascitur, ubi bulbulus, cellula quodammodo durior et locularis invenitur, vasculis nervulisque instructa cui is liquor ingeritur, e quo capillus originem et incrementum ducit; quum radix corpore parum crassior in isto liquore versatur. Probabile est ipsam capilli radicem, ut pennae avium, perforatam esse et investiri membranula subtilissima, in quam succus nutriens insurgat. Quodam oleo canaliculum impleri et tingi, verisimile non videtur, quum avium pennae cujuslibet coloris fluidum mucosum pallidum contineant et nitidissimos colores ostendant, ubi canaliculus ne cogitari quidem potest; quod etiam plica per multos annos adhaerente neque amplius nutrita probatur, quae eundem semper colorem servat, dum sani capilli jam incanescunt. Massae capilli solidae color est: ex eadem massa oleum capillorum superficiem illinens exsudari videtur, quod in unguibus quoque eadem pinguedine nitentibus observatur. — Neque Epidermis, nec rete Malpighi quidquam ad pilum formandum conferunt, quem ubi ad lucem editur brevissimam viam et tam leviter invaginant, ut pilo evulso ne vestigium quidem epidermidis adhaereat. Canaliculus capillaris parvam longitudinem attingit, ubi capilli solidi inveniuntur. Nimis procules a solo materno nutrimento egent, quare apices longiorum pilorum fissi siccique sunt, et crescere desinunt, nec quidquam plicae tribuunt. Capilli igitur, canales succo pleni corneaque massa circumdati quandam ossium tibialium speciem prae se ferunt, quae cellulis medullaribus magis magisque deletis fistulam medullarem ostendunt massa ossea, compacta circumdatam. Iisdemque fere partibus chemicis constant: capilli enim gelatinam, calcem phosphoricam, sulphuricam et carbonicam, siliciam, ferrum manganumque oxydatum et *sulphur* continent.

Ex hac comparatione sequitur, affectiones et arthriticas et scrophulosas in hac Polonorum Ec-

trichosi ab ossibus derivari et in capillos tanquam in ossa cutanea descendere.

Inflammatio telae cellulosae, quâ capillorum genitricis, exoritur, quae ut solet, producendi vim augens et mutans, capillitii pseudo-organismum efficit, duos exhibens gradus: minorem, qui merum pilorum pseudo-organismum cum aucta pinguedinis capillaris exsudatione exserit; majorem vero et acutum, quo capilli ad specificam secretionem stimulantur: siquídem secretio ita a physiologis definitur, esse nutritionem organi, ejus fines egredientem. In quoque secreto ipsum instrumentum secernens effluit. Quare ille latex viscosus, fuscus, gelatinosus proprium capillorum secretum est, sive pus capillare in tanto vegetationis auctu solummodo producendum. Nec vivo producto plica carere solet: innumeros plerumque pediculos profert, qui e sudore lympha plastica magis onusto nascuntur. Omnia symptomata localia ex hac inflammatione ejusque sequelis facile erit derivare.

De caussa Endemiae.

De hac Polonorum Endemia tam variae atque oppositae opiniones exstant, quam de caussis plicae internis. Alii atmosphaeram accusant, ut Hartmann, qui caussam in frigido vento ab Oriente flante posuit; et Chromy de Ruhmfeldt qui eam a salinis particulis aëri immistis derivat, magnas Wieliezkae salifodinas respiciens, alii e moribus Polonorum, ut clare eluceat, unam quemque Poloniae regionem, unam incolarum classem intueri, postpositis caeteris iidem malo obnoxiis. Universa deberet esse causa per totam Polonium dilatata, quae morbum producere et fovere valeat, nulli ejus diverticulo, nulli aetati, nulli tribui neutrique sexui parcentem.

Triplex endemiarum genus est; primum, quod e climate physico, e conditione locali in qualibet la-

titudine et longitudine geographica, e sylvis v. c. paludibus, mari vicino, magnis fluviis nascitur; alterum, quod a ratione vitae moribusque populi pendet; tertium et longe gravissimum, quod clima geographicum, latitudinem praecipue geographicam sequitur. Quo respectu distinguimus constitutionem utriusque hemisphaerae, et in utraque hemisphaera constitutionem aequatorialem et polarem, earumque transitus.

In nostra hemisphaera Poloni medium inter nationes aequatoriales et polares evidenter occupant. Polonia australis Tataris et Turcis finitima est constitutionis aequatorialis adhuc participibus; borealis ad constitutionem polarem jam inclinat. [1]) Quas paucis verbis tangam. Orientis aequatorialis populis eam constitutionem esse invenimus, quae nervorum sensibilitate, sanguinis venositate, hepatis ergo et cutis inter organa dominio excellat. Expansio nimia est. Omnes eorum morbi peripheriam petunt, ac si lethales fiunt, *nimia crisi* perniciem struunt. Sic in pesti carbunculos, bubones exulceratos, petechias invenimus. Vita decrescens illic propter venositatem morbum haemorrhoidalem exhibet, qui corpore rapidius evoluto ocyus intrat; perturbatusque horribillimum omnium exanthematum offert [2]) et perniciosissimum, Lepram et Elephantiasin, cutis quam pessimam degenerationem, cum symptomatibus nervosis et sanguinis in putredinem pronitate. — Borealis constitutio huic plane opposita sit, necesse est. Sensibilitas minor, irritabilitas praevalens et in musculis, unde robur et firmitas eorum, et in sanguine, quare indoles sthenica, inflammatoria, quae in-

---

[1]) Simul in Polonia et Russia Oriens in Occidentem transire videtur.

[2]) dicut menstruationis cessatio septentrionis mulieres ad scirrhum et carcinoma disponit.

innumeros internorum et centralium vitae instrumentorum morbos parat, parum ad crisin tendit ac priusquam morbus solvatur, vitam supprimit quod in omnibus inflammationibus internis, arthritide, apoplexia patet. Nonne igitur Polonorum inter utramque positorum constitutio ex his conflata esse debet? quare Poloniam australem, Galliciam, Volhyniam veram plicae sedem esse et focum puto. Arthritis et scrophulosis septentrionalia eorum vitia, quae propter dispositionem exanthematicam capillos, ossa cutanea, petunt. [1])

Eas climatum proprietates constitutionumque in alias transitus situ physico mutari possunt. Sic mare pestem coërcet, quae per Africae oram grassatur, saltus Carpathici plicam. Quo magis quisque populus integritatem suam servat, omnemque evitat cum aliis consociationem, eo majori puritate servantur mores, victus, constitutio, morbi. Eo modo Poloni per tot saecula propriis moribus, habitu, cultu victuque utebantur, ut etiam morbus iis insitus, in ipsa constitutione radicatus patria vix egrederetur, et a patre progeniei traditus criticaeque naturae caussa fotus civitatis quasi jus nacteretur. Ejusmodi morbus, vegetativa indole praeditus minime per rapidas in alias terras invasiones celeresque per alias gentes migrationes propagari potest. Neque contagium ei essentiale est, quod in ipsa Polonia [2]) et maximo tantum gradu

---

[1]) Sive Leprae species inflammatoria et vegetativa nominari potest: quae varietates nullo quidem contagio tot populis illata sunt, sed ex iis ipsis pro varia indole sese evolvunt: sic in Italia superiori Pellagra, in Hispania, Eresypelas malignum (mal de la rosa) in Cayenne mal rouge de Cayenne, in Suevia et Norwegia lues Scandinavica invenitur.

[2]) Simili modo exanthema Indiae occidentalis, quod Yaws dicunt, advenae infecto parcit, si cito in Europam redit, sed cum aucta vehementia, quum in Indiam revertitur, erumpit.

generatur. Qua de caussa, neque invasione Mongolorum plicam ingestam, nec post novissimum bellum in Italia et Hispania erupturam esse puto. Lento gressu terminos transgreditur irrepitque vecinitati. Quid mirum, quod Endemia trichomatica usque ad nostra tempora in eadem semper regione vegetasse videatur, quum exigui ejus progressus primo intuitu nos fugerint. In prima hujus stirpis Slavonicae sede et domilio, Volhynia, Gallicia australique Russia orta est, ubi etiam nunc maxime viget: unde tarde iis terris et gentibus inserpsit, quas Poloni primo post regnum fundatum tempore in potestatem suam redegerant, in Lithaviam, Borussiam orientalem, Silesiam, Pommeraniam posteriorem, ubi minori copia evidenter observatur, et sicut in Russia boreali vera arthritidis forma vincitur. In Saxoniam quoque Augusto II. et III. regnantibus, delatam esse legimus. Quum vero Poloni omnes fere provincias amiserint, totaque tandem eorum terra divisa sit, moribus ut in quoque populo superato mutatis (balneis e. g. Russicis introductis) et constitutio mutabitur, ut hanc Endemiam aliquando minutum penitusque fortasse exstinctum iri, probabile videatur.

Prognosis.

Quae de arthritide et scrophulosi constant, et in morbo trichomatico obtinent. Pauca tantum adjungenda erunt.

1) Plica morborum illorum bona crisis et metastasis est, quos ab internis corporis partibus derivat.

2) Regularis decursus cum nullo periculo conjunctus est; externam vero capillitii speciem deformat, magnaque incommoda secretione et pediculorum productione secum fert.

3) Irregularis decursus differentiae jam descrip-

tae sunt; mala hinc emanantia trichomate regenerato sanari possunt.

Cura.

A. Plicae arthriticae.

1) In stadio prodromorum plicam averti posse, Hartmann experimento jam enarrato probat, quare haec observanda sunt.

a. Prodromis, qui ad universum morbum spectant, cognitis, cura antarthritica instituenda erit; vel si molimina haemorrhoidalia adsint, remedia huic statui idonea adhibenda. Alvus praecipue aperienda, laxantia danda, omnesque excretiones augendae, donec symptomata evanuerint, sanitasque restituta sit.

b. Sed febri jam intrante, localibusque symptomatibus jam natis, quaecunque derivantia fugienda sunt, quibus naturae vires dividuntur, et vera morbi crisis inhibetur. Eadem de caussa frigore capiti adhibito plica cum tristissimo effectu supprimitur.

c. Febri regulis notis prospiciendum, quae si inflammatoria indole est, cum vehementissima ad caput congestione, sopore, apoplexia, venaesectione caute temperanda est; si nervosam ostendit naturam vires adjuvandae sunt nervinis, roborantibus et vini praesertim usu. *Sitis* aut potu acidulo, antiphlogistico, aut restaurante, e. g. vino cum aqua mixto, moderanda.

d. Ad plicam eliciendam caput decoctis emollientibus, Lycopodii, malvae, altheae, verbasci, fomentandum et lavandum est. Vel si debilitatis et status nervosi caussa cunctatur, decoctum saponis, sinapeos, tinctura cantharidum aliaque epispastica applicanda sunt: ungues quoque respiciendae sunt. Pectinis usus plane abrogandus.

2) Plica nata aut sanitas redit, aut secretio secundi gradus imminet: quod praeter alia signa, secundum Lafontaine proprium temporum frigus praesignat, ubi emollientia conducent. Pediculi molestissimum plicae symptoma: quare plica leviter incidenda, et mercurius aut interendus aut cum amylo contritus inspergendus est.

3) Plica sicca, sanisque capillis inhaerens, pollicem aut duos pollices a cute distans sine damno resecari potest; sed bene cavendum, ne partes adhuc secernentes removeantur. Interna hujus stadii cura roborans esse potest: quare cibi digestu faciles, amara, aromatico-amara, quassia, china vinum quoque porrigantur.

B. Plica scrophulosa.

Ut in quaque affectione scrophulosa morbus principalis maxime respiciendus est, quo sublato et illa tollitur: in plica quoque scrophulosa, quae e toto habitu satis noto elucet, aliisque malis ex eodem fonte profluentibus, e. g. ophthalmia scrophulosa, phthisi tuberculosa, tota cura antiscrophulosa administretur. Eadem hic adminicula localia conveniunt.

Decursus irregularis.

Qui proh dolor! frequentissime medicis obvius est: quum infimae plebis cives sibi ipsi prospiciunt, et plicam crescere sinunt; ditiores autem et nobiliores hujus morbi pudet, quam ergo impediunt, removent ac celant.

Impedita plica quo minus excrescat, aut suppressa et resecta: duplex cura instituenda est.

1) Ante omnia ad plicam formandam omne saxum moveamus oportet. Plica recenter rescissa capiti imponatur, cui vel post aliquod tem-

pus adcrescit: quod si minus persequi potest medicus, epispastica quam maxime irritantia applicabit, ubi aut nova elicitur plica, aut salubris certe secretio ejus vice fungitur. A multis inoculatio quoque commendatur, bonosque ejus effectus Lafontaine commemorat, qui ita eam docet, ut tegmen a trichomatico gestum aegroto imponatur. Non possum, quin singularem plebejorum Polonorum praesertim Indaeorum usum tangam, qui plica suppressa aut resecta, trichoma alienum vino aut spiritu vini solutum paullatim bibunt. Efficacissimus ipse plicae latex, ipsum contagium esse videtur. Capillis brevioribus aut rasis, aut senectute lapsis, sive ad alias partes crinitas, sive ad ungues morbus pellatur, eadem ratione iisdemque remediis.

2) Mala e plica retrogressa nascentia, quam diligentissime curanda sunt, pro ea qua sunt indole, ac pro organo et systemate correpto: quae ex arthritidis et scrophulosis historia nota sunt. Inflammationes sexui virili, neuroses mulieribus frequentiores esse videntur. Id quoque monendum, ne medicus haemorrhoidum arthritidem saepe excipientium immemor sit, nec mensium suppressorum, morbo haemorrhoidali multifaria ratione similium.

Remedia specifica a multis commendata ejusmodi sunt, ut in scrophulosi et arthritide adhiberi possint: ut Antimonium a Lafotaine, cicuta, digitalis, aconitum a Joseph. Frank.

Remedia Polonis dilecta, Lycopodium, musci varii, vinca, Bardana, quibus lene adstringens inest, a plurimis inefficacia habentur. Sed fortasse, sicut, rubia tinctorum in ossa, specificam vim in capillos exercent.

De mercurio etiam inter medicos disceptatum est. *Berniez* salivationem laudat; singula quoque exempla de salubri mercurii effectu exstant. [1])

---

[1]) Hufel. Iourn. d. pract. Heilk. B. X., 1. St. p. 122.

Alii eum in plica rejiciunt. Fortasse in plica scrophulosa calomel et aethiopes mercurii rite administrantur.

De Cura Endemiae.

Ad plicam radicitus exstirpandam Richter, Gasc, Schlegel aliique balnea, Russorum praesertim vaporaria commendavere: quorum magnam in arthritide pellenda et praecavenda efficaciam nemo negabit: qua de caussa sperari potest, hodierno Poloniae et Russiae nexu balneorum quoque usum latius effusum iri, plicamque unà cum morbis gemellis, arthritide et scrophulosi magis in diem esse evanituram.

CURRICULUM VITAE

Natus ego, Henr. Ludov. Conr. Goullon, anno MDCCCI die m. martii XXIX, Vinariae, ubi Franciscus Goullon pater et mater Johanna ex stirpe Ortelliana in elementis litterarum instituendum me curabant. Ejusdem oppidi gymnasium a decimo aetatis anno ad duodevigesimum usque frequentavi, ubi Stiebritz, subconrectore, Schwabe, conrectore Lenz, Directore ac professoribus Melhos, Kaestner, Schulz, Hand, Riemer, Weichard, Vent et Leidenfrost praeceptoribus utebar quam maxime de me meritis.

Postquam anno MDCCCXIX, Jenae, florentissima litterarum universitate a perill. Konopac, illius temporis prorectore magnifico civibus academicis adscriptus eram: lectionibus osteologicis anatomicisque Ill. Fuchs, pathologicis Cel. Stark jun., pharmologicis Cel. Walch, botanicis Cel. Vogt jun., et physicis Ill. Vogt. sen. interfui. Postea in pathologia et therapia speciali ab illustr. Suckow, in chirurgia ab Ill. Stark sen. eruditus sum, in physiologia et anatomia comparata a Cel. Renner, in historia naturali a Cel. Oken, in mineralogia ab Ill. Lenz et in chemia a Cel. Döbereiner. In arte obstetricia Ill. Stark sen. me instruxit, quo et Ill. Suckow ducibus clinicum magniducale adii. Tertio tandem studiorum anno in almam academiam Berolinensem me contuli, ubi per hyemem Perill. Rudolphi et Knape artem partes corporis cultro anatomico indagandi me docuerunt, perill. Berends in clinica me instituit; per semestre aestivum in egregio nosocomio Caritatis artem chirurgicam a perill. Rust exerceri vidi ejusque lectiones akiurgicas simul cum Cel. Kluge habitas frequentavi. Praeterea Doctrinae de cachexiis, quam Ill. Hufeland tradebat ac de morbo syphilitico, quam Ill. Rust illustrabat, operam navavi.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Arthritis et rheumatismus caussis tantum, nec vero natura inter se differunt.

II.

Quaecunque exanthemata critica sunt.

III.

Contagium non nisi e vivo corpore emanat.

IV.

Scrophulosis est vegetationis luxuries.